



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cuius Iudicisqve Dei, Erga Homines In Hac
Vita Existentes, Firmata**

Stengel, Georg

[S.l.], 1645

§. 12. Christi manu, humilibus, & aliunde destitutis SS. Eucharistia ministrata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49823)

doni, hostias Angeli è visceribus reuulsas, atq; flammato gladio, è ceruicibus excussas repetent; remque omnium sanctissimam, in salutem institutā; seuerissimo Iudici Deo, in vindictam damnationemque eorum, annumerabunt.

§. XII.

Christi manu, humilibus & aliunde destitutis, SS. Eucharistia ministrata.

Interim Deus amicis filiisq; diligenter prouidet; ne fame pereant; neque per Angelos tantum diuinas has illis sportulas mittit; sed suismet etiam manibus se se illis in os; in pectus, in animam immittit. Celebrauerat aliquando Missā Honoratus, post Firminum Episcopum Ambianensem, quartus. Ventum erat ad hostiam fumendam; ibi; attentissima cogitatione, instatit tanti sacramenti dignitatem perpendere. Ea meditationis vis fuit, vt; præ reuerentia, hostiam manibus attingere vereretur. Placuit conuiuæ modestia Christo, censuitque miraculo honorandam, miraculoque stupendo. Nam ipse, ex depicta inibi imagine sua, brachium extendit hostiamque, velut viuā manu, sublatam de altari Honorato porrexit. Itaque, iam ille sumere non recusa-

L

uit;

8. hist. c.
5. Baron.
t. 3. An-
nal. An.
An. 400.
Petr. Clu-
miac. lib.
1. cap. 2.
Gregor.
Turon.
lib. 1. de
de glor.
Mart. c.
86.
Petr. de
Natal. l.
2. Cat.
Sanct. 86.
M. Mar.
Spalat. l.
4. c. 12. ex
Breviat.
Ambian.

uit, quod diuinitus dabatur; tantò dignior
eo pane, quantò se iudicauit indigniorem.

S. Ambr.
in 1. Cor.
ii.

Vnde rectè dixit S. ille Pater: *Denoto animo,
& cum timore accedendum ad communionem,
vt sciat mens, reuerentiam se debere ei, ad cuius
corpus sumendum accedit. Hoc enim apud
se debet indicare, quia Dominus est, cuius in
mysterio sanguinem potat, qui testis est beneficii
Dei. Quem nos, si cum disciplina accipiamus:
non erimus indigni corpore & sanguine Christi:
gratias enim videbimur reddere redemptori.*
Hanc humilitatem, vt in se struant, vel lai-
ci communicaturi, vel sacrificaturi sacerdo-
tes, habent præclaram illam D. Augustini
orationem, quæ incipit, *Summe sacerdos &c.*
in qua etiam petenda sic loquitur: *Vt sacri-
ficium laudis casto corpore, & mundo corde va-
leam offerre. Quanta enim cordis contritione,
& lachrymarum fonte, quanta reuerentia &
timore, quanta corporis castitate & animi pu-
ritate istud diuinum & cœleste sacrificium est
celebrandum? Domine Deus meus, ubi caro
tua in veritate sumitur, ubi sanguis tuus in
veritate bibitur, ubi ima summis coniungun-
tur, ubi adest Sanctorum presentia Angelorū,
ubi tu es sacerdos, & sacrificium mirabiliter &
ineffabiliter? Quis digne hoc celebrare potest*
myste-

mysterium, nisi omnipotens Deus offerentem fecerit dignum? Talis oratio humilem facit, talis meditatio dignum; talibus se porrigit Seruator, quia cum simplicibus sermoeinatio eius. Qui etiam S. Dionysio, cum Rustico & Eleutherio socijs, in carcere, detento, & mox ad martyrium ituro, cunctis, qui doctrinae eius audiendae gratia aderant, spectantibus, ingenti luce, & Angelorum multitudine circumdatus, sanctum panem porrigens, dixit: *Accipe hoc, mi chare, quod mox complebo tibi, una cum Patre meo, quoniam mecum est maxima merces tua, & his, qui audierint te, salus in regno meo.* Haec, dum Missam, iam tum Apostolorum tempore, in custodia, faceret D. Dionysius, euenerunt Tu enim, o Deus, fecisti priora, & illa post illa cogitasti: & hoc factum est, quod ipse voluisti.

Prou. 3^o
32.
Su. 9. O-
ctob in
vita eius,
c. 29. &
Io. Ga-
retius.
cent. 9. ex
Hilduino
Abbate
840.

Iudith 9^o
5.

§. XIII.

S. Spiritus, & S. Thomas Apostolus SS. Eucharistiam praebentes: itemq; digne & indigne comunicantium discrimen.

Verum neque Spiritus Sanctus deest, Eucharistiam desiderantibus. Siquidem, vt, in vita SS. Martyrum Faustini ac Iouita, habetur, cum praedicti martyres Secundum militem, Mediolani, baptizassent, & sacra

L 2 etiam